

## CENSURA THEOLOGORVM ORDINIS.

COelestis Agricola, scilicet unigenitus Dei Filius, de quo Propheta Jeremias prædixerat cap. 14. Quasi colonies futurus es in terra, in agrum suum, quem in sudore vultus sui excoluerat, & proprio pretioso sanguine suo fœcundarat, (Catholicam puto Ecclesiam) nunquam intermisit sedulos cultores seu Agricolas mittere, qui ex eodem nociva virtutum zizania extirparent, & præclaras virtutum germina inficerent: inter quos multum Reverendus Pater Georgius Dusfeldorpiensis, Provinciae Coloniensis Fratrum Minorum Capucinorum Præparator, & tertio Minister Provincialis, tanquam sedulus Georgus, seu fidelis Agricola, cœlestis illius Agricolæ zelosus æmulator, in eodem Dominico agro per quadraginta annos & ultrà strenuè, & in sudore vultus sui laborare non destitit. Testantur id Conciones summa cum diligentia elaboratae, magnoq; populi Christiani accusu & applausu è diversis Provinciae nostræ cathedralis prædicatae, quas moriens post se reliquit: è quibus compilatum est Volumen prælens bipartitum, cui titulus GEORGIA GEORGIANA POSTHUMA, sive Geistlicher Neiver Ackerbau/ complectens Conciones in omnes Dominicæ & Festæ totius anni, quas nos infra scripti ex speciali mandato multum Reverendi Patris Albini à Kervendunck, ejusdem nostræ Coloniensis Provinciae Ministri Provincialis accurate perlegimus, nihilque in illis aut orthodoxæ fidei, aut morum integritati repugnans deprehendimus, sed ubique validis sacræ Scripturæ sanctorumque Patrum testimoniis roboratas, pulcherrimisque conceptibus sic ornatas invenimus, ut dignas censemus, quæ ad multorum id unicè expertentium utilitatem mediante prælo publicam lucem aspiciant. Datum Dusfeldorpia in Conventu nostro Fratrum Minorum Capucinorum die 18. Januarii Anno 1695.

F. FLORENTIUS Bonnensis Capucinus,  
Guardianus, Definitor, & SS. Theologiæ Exlector ind.

Fr. NICOMEDES Börgentricensis  
Capucinus Guardianus ind.